

ab actore amplius recusari queat, cum eumdem habere contra se Judicem dignari non debeat, coram quo alteram partem in jus vocavit. Alter effectus est simultaneus processus, quatenus actio et reconventio uno eodemque judicio cognosci, et una sententia terminari possint. At si reconventio post item contestatam aliosque actus judiciales jam proponatur, prorogat quidem jurisdictionem, sed tamen utraque causa simultaneo processu non tractatur, dum causa conventionis prius finienda est, et inde fit transitus ad causam reconventionis, nisi haec liquida omnino esset.

§ 213.

DE ORDINE COGNITIONUM.

Contingere quandoque solet, ut exceptiones a reo propositae causas et quaestiones plures excident, quae certo ordine a legibus definito cognoscendae sunt, ut omnis confusio evitetur. Quem igitur ordinem observare Judex debet in examine plurium quaestionum, quae in eodem judicio concurrant, is cognitionum ordo appellatur. Universim duas regulae traduntur: prima est, quoties in eodem judicio plures causae concurrunt, primum cognoscenda causa est, a qua altera pendet: secunda regula est, si neutra causa ab altera pendeat et utraque sit principalis, prius proposita, prius quoque tractanda est. Ex quibus regulis haec sequuntur: 1. Si civilis et criminalis causa concurrat, criminalis tanquam praecipua ante civilem absolvenda. 2. Si altera ex propositis causis praejudicialis sit, haec prius tractari ac definiri debet; praejudicialis autem dicitur, quando ab ejus decisione alterius decisio pendet. Ita si mulier aliquem peteret seu vindicaret in maritum adhibitis testibus, is vero exceptionem consanguinitatis objiceret, prius de consanguinitate pronuntiandum esset quam de Matrimonio, siquidem consanguinitate pro-

bata quaestio principalis perimitur, cum inter consanguineos constare matrimonium non possit. Ita prius tractanda est causa status natalium, quam successionis in haereditatem jure cognationis; prius causa de validitate matrimonii, quam de dote; prius de canonica institutione in beneficium, quam de decimis dandis: idque locum sibi vindicat sive causa civilis praejudicet civili, sive criminali, sive vicissim: de quo vide Gratianum in can. PRIUS EST caus. 3 quaest. 11. Pariter de exceptionibus a reo propositis prius videndum est, quam de causa principali; nam si exceptio peremptoria est, jus agendi perimit: si dilatoria, retardat. 3. Exceptionibus peremptoriis et dilatoriis affines sunt quaestiones incidentes et emergentes, unde tritum effatum est: « incidens quaestio perimit, emergens differt. » Incidens quaestio dicitur, quae ante judicium inchoatum originem habet, seu quae negotium principale et causam ipsam attingit, qualis est exceptio consanguinitatis, pacti de non petendo; emergens vocatur quae post judicium inchoatum, atque adeo in ipso judicio orta est, quasi tunc emergat, seu quae processum et ordinem litis tangit, ex. gr. an testis a muliere productus recipiendus sit. 4. Quaestiones etiam praeparatoriae ante alias cognoscendae sunt: praeparatoria vero est, quae cardinem controversiae non continet, viam tamen expeditiorem parat ad controversiam dirimendam. Sic cognitio de possessione praemittenda est cognitioni de proprietate rei, quatenus ex ea intelligitur, utri litigantium sint commoda possessionis, et utri incumbat onus probandae proprietatis.

§ 214.

DE LITIS CONTESTATIONE ET JUREJURANDO CALUMNIAE.

Si reus ultro fateatur se debere, lis sublata est. At si intentioni actoris contradicens contendere in judicio paratus sit,

Iis dicitur contestata. Notum enim est « quod per petitionem in jure propositam, et responsionem sequutam contestatio litis fiat, » cap. 1 de Lit. contestat. Responsio autem negativa esse debet, quae ex certa scientia procedat, et animum litigandi per verba non ambigua, nec obscura significet. Sed necesse non est, ut responsio sit specialis, quae scilicet ad singula capita singillatim respondeat, sed sufficit generalis, qua reus intentioni actoris generatim contradicit, et hinc jure Decretalium positiones inventae sunt, quibus controversiae status constituitur. Caeterum contumacia rei loco contestationis est, unde contestatio duplex, aut vera quando reus expresse contradicit, aut ficta quando ob ejus contumaciam lis pro contestata habetur. Contestatio initium et fundamentum judicii est: quamobrem ante contestationem nec recipi testes, nec alia probatio admitti potest, eoque minus sententia proferri, nisi aut natura causae, ex. gr. ob periculum fornicationis in causis super validitate matrimonii jam contracti, ob detrimentum Ecclesiae ex longiori viduitate, in causis de valore electionis, aut provisione Ecclesiae, aut nisi periculum amittendae probationis id exigat, quo casu examini testium ad perpetuam rei memoriam locus erit. Attamen hujusmodi examen testium actori longe difficilius conceditur, quam reo, cap. 41 et 43 de Testibus. Effectus contestationis quatuor praecipiuntur. Prior ex parte Judicis est, quod amplius ut suspectus vel incompetens rejici nequeat, nisi nova aliqua suspicionis causa supervenerit. Alter ex parte actoris, quod actio temporalis ad quadraginta annos perpetuetur, actiones autem personales, ceu actio injuriarum, ad haeredes et contra haeredes transeant. Tertius respectu rei, quod in mora et mala fide constituatur. Quartus ex parte litigantium est, quod uterque instante altero teneatur incepsum judicium prosequi, et mandatum Procuratoris per obitum alterutrius non expirat.

Post item contestatam, ne fraudibus et deceptionibus liti-

gantes uterentur, primum quidem a jure Romano inventum, et deinceps Decretalium auctoritate receptum est jusjurandum propter calumniam, quo actor jurat, « non calumniandi animo item se movisse, sed existimando, bonam causam habere; » reus vero jurat, « quod putans se bona instantia uti ad reluctandum pervenerit, » ut Justinianus habet L. 2 cod. de Jurejurando propt. calumn. Glossa in cap. 1 hoc tit. tradit, in juramento calumniae quinque capitula contineri, scilicet partes jurant: 1. Quod se bonam causam habere credant. 2. Quod interrogati nolint veritatem inficiari. 3. Quod scienter falsa probatione non utantur. 4. Quod dilationem non peccant in fraudem, animo scilicet protrahendi seu differendi judicii. 5. Quod nil dederint, nec promiserint, nec deinceps daturi sint, nisi illis personis, quibus leges dare permittunt. At jusjurandum sic descriptum generale est, in eoque continentur tria specialia juramenta, quae distinguit Bonifacius VIII cap. 2 eod. in 6, videlicet juramentum calumniae, juramentum veritatis, et juramentum malitia. Itaque juramentum calumniae ad fraudes quascumque removendas pertinet, totamque item complectitur: juramentum autem veritatis, et juramentum malitia super aliquo tantum litis articulo deferuntur, eoque jurans promittit se veritatem dicturum et altero jurat se nihil malitio agere vel proponere. Quapropter juramentum calumniae, quum universam item spectet, semel tantum ab utraque parte interponitur, sed juramenta aut veritatis, aut malitia plures exigere pars altera ab altera potest, quoties Judex ob fraudis vel malitia suspicionem judicaverit expedire. Jure civili nec tacito partium consensu, nec expresso jusjurandum calumniae remitti potest, quia non pro commodo privatorum, sed pro communi utilitate inductum est, ut scilicet Sacramenti religione fraudes omnes a judiciis arcerentur. At Jure Canonico tacite remitti potest, nec propterea processus nullus est; quippe juramentum calumniae ad substantiam ordinis judicarii non pertinet, ejusque tacita remissione ca-

lumniandi facultas non tribuitur; quid enim est tacite remittere? Idem propemodum quod non exigere, ac proinde peti adhuc poterit, si calumnia aut fraus aliqua timeatur. Quare ipso Jure Decretalium, si juramentum calumniae, quod neutquam postulatum fuerit, exinde petatur, praestandum omnino est, et si actor jurare noluerit, ab instituta actione cadet, reus autem jurare detrectans habetur pro confessio; neuter tamen hanc poenam incurrit nisi postquam sententia Judicis accesserit. Praestatur autem hoc juramentum in omnibus causis etiam spiritualibus tum in prima, tum in secunda instantia, non tamen in criminalibus deferendum reo est ob ingens periculum perjurii, quin imo Benedictus XIII, in Concil. Roman. tit. 43 cap. 2 jussit, ut ne in posterum sub poena nullitatis omnium actorum exigeretur a reis juramentum de veritate dicenda, cum criminaliter uti principales examinantur. Jurant vero de calumnia non modo litigantes, verum etiam ipsi procuratores; tutores et curatores; Clerici etiam in causis propriis hoc juramentum declinare non possunt, verumtamen si propriae Ecclesiae causam egerint, juramentum hujusmodi subire inconsultis eorum Praelatis non coguntur.

§ 215.

DE PROBATIONIBUS GENERATIM.

Contestata lite, cognitisque a Judice litigantium petitionibus ad probationes veniendum est. Probatio autem est facti alicuius dubii apud Judicem legitime facta demonstratio. Ex qua definitione intelligitur solas res, seu facta dubia probanda esse, non vero notoria, vel ab adversario admissa, non ea quae juris sunt: haec enim Judici perspecta censemur, nisi sint jura consuetudinaria quorum vis in facto consistit. Hinc sequitur probandi onus illi incumbere qui factum allegat,

§ CCXV. DE PROBATIONIBUS GENERATIM. 475

quo veluti fundamento ejus petitio vel exceptio innitatur. Itaque in primis actor probare debet quae affirmat, eoque non probante reus, etsi nihil praestiterit, absolvendus est. Reus etiam exceptionem suam, qua aliquid affirmat, probare tenetur, unde Ulpianus in L. 19 ff. de Probat. praeclare dixit: « In exceptionibus reum partibus actoris fungi oportere, ipsumque exceptionem, veluti intentionem, implere ut puta si pacti conventi exceptione utatur, docere debet pactum conventionum factum esse. » At si litigans factum ab altero allegatum simpliciter negat, negationem probare non tenetur; qui enim simpliciter negat, nihil ponit quo negationis ratio reddi possit, atque ideo L. 13 cod. de Probat. et cap. 11 eod tit. ait: « per rerum naturam rei factum negantis probationem nullam esse; » quae tamen regula triplicem exceptionem habet: 1. Nempe nisi negatio petitionis fundamentum constitut; non minus enim probare debet qui asserit sibi centum mutui causa deberi, quam substitutus qui petit haereditatem, propterea quod neget eam a scripto haerede aditam fuisse. 2. Nisi negatio affirmativam propositionem seu allegationem novi facti virtualiter contineat, veluti si quis negaverit sua sponte beneficium renuntiasse, illudque propterea retinere velit, opus est ut vim metumque sibi illatum fuisse demonstret; negando enim se sponte renuntiasse, implicite affirmat vim metumque illatum sibi fuisse. 3. Denique nisi presumptionio juris negationi saveat, nam ex cap. 2 de Restitut. spoliat. in 6, « is liberatur ab onere probandi, pro quo militat presumptionio juris. »

Probatio vel plena est, vel semiplena: plena quae tantum fidem facit, quanta ad controversiam definiendam satis sit. Hujusmodi est confessio judicialis, testimonium duorum, vel trium testium exploratae fidei, instrumentum publicum, vel alia scriptura authentica, presumptionio juris et de jure. Probatio semiplena est, quae fidem aliquam facit, non eam tamen quae ad litem finiendam sufficiat; talis est confessio ex-

trajudicialis, dictum unius testis fide digni, instrumentum seu scriptura privata, comparatio litterarum, fama et praesumptio levis. Igitur plura sunt genera probationum, et praecipuae sex vulgo numerantur, nempe confessio, ocularis inspectio, testes, instrumenta seu scripturae, indicia seu praesumptions, et jusjurandum.

§ 216.

DE PROBATIONIBUS PER CONFESSIONEM.

Primum itaque locum inter plenas probationes sibi vindicat confessio, cum nulla sit plenior probatio, quam ea quae a proprii oris confessione procedit. Confessio autem dividitur: 1. in discretam et indiscretam. Discreta dicitur quia exprimitur causa unde obligatio orta est, indiscreta quae fit sine adjectione ejusdem causae, ut si quis fateatur, se centum debere Caio non expresso contractu ex quo debeat. 2. Dividitur in simplicem et qualificatam: prior est ubi confessioni nulla limitatio adjicitur; posterior autem, quando confessioni aliqua limitatio, seu conditio, seu circumstantia obligationem aut crimen excusans vel imminuens adjungatur, veluti si quis mutuum accepisse fateatur, sed simul solvisse affirmet, si hominem occidisse confiteatur, sed necessariae defensionis ergo, et servato moderamine inculpatae tutelae. 3. Dividitur in judiciale, quae fit in judicio et coram judge competente, et in extrajudiciale quae fit extra judicium, aut fit quidem in judicio, sed coram Judge non competente. Rursus confessio judicialis dividitur in expressam et tacitam: expressa vocatur quae fit verbis, scriptura, vel signis aliis declaranda voluntati accommodatis; tacita est quae ex facto aliquo elicetur, vel a lege singitur intervenisse. Sic tacite censemur confiteri, qui cum actore super delicto privato transigit, si intentionem adversarii fateri censemur qui ad ejus-

§ CCXVI. DE PROBATION. PER CONFESSIONEM. 477

dem positiones, cum Judge jusserit, respondere detrectat. De singulis hujusmodi confessionibus haec universim tenenda sunt. Confessio discreta vel in scriptis vel sine scriptis coram adversario facta, modo per duos testes integræ fidei comprobetur, plenam fidem omnino facit. Indiscreta praesente adversario prolatæ semiplene probat, quum ob ejus praesentiam praesumatur facta cum aliqua deliberatione; si autem adversario absente emittatur, nihil probat omnino, nam censemur ex praecipititia et animo non deliberato processisse. Confessio simplex est plena probatio, sed qualificata aliquando dividi, seu in partem rejici, et in partem recipi potest, aliquando vel tota recipienda est, vel tota repudianda. Igitur distinctione opus est. Si conditio confessioni addita praesumptionem juris contra se habeat, tunc confessio quidem recipitur, non autem conditio nisi probetur; veluti si quis homicidium fassus sit, sed necessariae defensionis causa, confessio homicidii admittuntur, qualitas autem necessariae defensionis probanda erit, quia juris praesumptio est, eum qui occidit animum nocendi habuisse. At si conditioni seu qualitatibus adjunctæ praesumptio juris non repugnet adhuc tamen videndum erit, an conditio ipsa et substantia confessionis ad unum eundemque actum pertineant, uti si dixeris, te sponsalia promisso hac tamen conditione, si parentes consenserint; te vendidisse, sed pacto legis commissoriae. Itaque in his casibus, sicut substantia confessionis, et conditio eundem veluti actum constituunt, sic vel tota confessio recipi, vel tota respudiabit, nisi altera pars aut conditionem impletam, aut obligationem fuisse puram non demonstraverit. At vero si substantia confessionis, et conditio ad diversos actus et plane distinctos referantur, uti si reus fateatur mutuum, sed affirmet mutuum reddidisse, tum actor potest confessionem de accepto mutuo admittere, alteram vero partem confessionis de mutuo redditio non recipere, donec reus hoc novum et posterius factum solutionis non comprobaverit. Denique confessio judicialis vim

plenissimae probationis habet, et litem omnino dirimit; confessum enim pro judicato esse, seque sua sententia quodammodo condemnare Paulus affirmat, L. 1 ff. de confessis. Confessio autem tum plene probat, si fiat coram Judice competente ex certa scientia et libertate, et ab eo qui aetate major sit. At confessio soli poenitenti nocet, non tertio; nulli siquidem in praedictum tertii creditur, imo nec confessio unius caeteros litis consortes gravat, praesertim si causa sit dividua. Unde si confessus delictum proprium (crimine laesae majestatis excepto) complices patefecerit, adversus eos nihil probat, nisi aliunde suspecti sint, cap. 1 de confess.; pariter si quidam ex haeredibus ejus, quem debitorem meum fuisse contendit, debitum pro sua portione agnoverit et persolverit, non propterea caeteri ad solutionem urguntur, nisi debitum probatum fuerit, L. 1 cod. « res inter alios actas vel judicatas aliis non nocere. » At vero procuratoris specialis, aut mandato *cum libera muniti*, item Tutoris et Praelati confessio nocet etiam mandanti, pupillo, Ecclesiae, si illi necessitate officii, et in judicio, non vero si sponte, aut extra officium et judicium fateantur. Confessio autem extrajudicialis scienter et sponte facta, si praesertim discreta sit, vim plenae probationis obtinet, secus enim rem dubiam relinquit, et magis vel minus probat, et nullam probationem aut semiplenam tantum inducit. Porro ad eliciendam partis adversae confessionem institutae sunt positiones seu breves quaedam propositiones, sive articuli praecipua judicii capita complectentes, ut iis confessione adversarii constitutis aut negatis pateat alteri quid sibi deinceps probandum sit, quidve in probatis habendum. Namque positiones exhibens levatur ab onere probandi quidquid pars adversa affirmaverit, et ea tantum probanda supersunt quae negaverit. Positionibus autem non minus actor quam reus ad faciliorem reddendam actionis vel exceptionis probationem uti potest. Verum ad calumnias fraudesque hac in re avertendas defertur proponenti et responsuro ju-

ramentum a forensibus nuncupatum dandorum et respondendorum, quo alter jurat se nihil per calumniam posuisse, alter se nihil per eamdem responsurum. Qui vero instantे parte et praecipito Judicis urgente aut respondere recusat, aut per contumaciam abest, quantum ad ea quae in positib⁹ sive articulis continentur, pro confess⁹ habetur, cap. 2 de confessis in 6, si tamen causa civilis fuerit; nam in causis criminalibus reus per contumaciam absens, aut respondere detrectans indicium criminis praebet, non exinde tamen pro confess⁹ habendum esse Doctores communiter sentiunt; quandoquidem ad poenam irrogandam probationes omnino liquidae et meridiana luce clariores postulantur, L. ABSENTEM ff. de poenis, et L. fin. cod. de Probat. Verum litigans non tenetur respondere interrogacionibus perplexis, dubiis, obscuris, captiosis ad causam non pertinentibus, imo nec reus, si Judex non legitime interrogat, veluti si fuerit incompetens, suspectus, aut interroget de occulto crimine, non obstringitur crimen ipsum prodere, « sed potest vel per appellacionem, vel aliter licite subterfugere, » ut docet S. Thomas 22 q. 69 a. 4.

§ 217.

DE PROBATIONE PER OCULAREM INSPECTIONEM.

Ubi res confessione non constat, aliis probationum speciebus inquirenda est. Igitur altera probationis species est inspectionis ocularis, quam forenses *accessum* vocant, quia Judex accedit ad inspiciendam rem ipsam quae in controversiam adducitur. Fieri autem debet vel a Judice ipso, vel a viris in arte peritis ad id munera deputatis, ac citatis litigantibus, dum ex aequo de utriusque praejudicio agatur. Inspectionis autem praecipuus usus est in eis quae oculis subjiciuntur, ut in causis finium regundorum, servitutum reparationis Ecclesiae, impotentiae conjugum, vulnerationis hominum, et simili-

lium, quae inspectio, si recte fiat, validissima probatio est, vel potius demonstratio veritatis, ita ut latam ex eo sententiam in rem judicatam transire plures existimarunt.

§ 218.

DE PROBATIONE PER TESTES.

Tertiam probationis speciem constituant testes, scilicet personae fide dignae in judicium vocatae ut de re controversa testimonium ferant. Testes autem esse possunt, quotquot jure non prohibentur: omnes enim de jure censentur idonei, qui specialiter non probantur excepti, cap. 4 de Testibus, ubi Glossa animadvertisit: « quod edictum de testibus prohibitum sit, ut quilibet admittatur qui non repellitur. » Verum permulti sunt, qui a testimonio dicendo vel in totum rejiciuntur, vel pro certis personis tantum, vel contra certas personas, vel certis denique causis. Generatim et pro omnibus causis rejiciuntur qui laborant defectu aut aetatis, aut judicii, aut probitatis morum. Itaque defectu aetatis arcentur impuberis, licet pubertati proximi in crimine laesae majestatis admittantur: defectu judicii repelluntur furiosi, ebrii et amantes: demum defectu probitatis morum arcentur usurarii, perjurii, haeretici, infames omnes, nisi infamia facti laborantes mores mutaverint, et civiliter agatur, cap. 54 hoc tit.

Pro certis personis testimonium ferre nequeunt: 1. Parentes pro liberis, vel liberi pro parentibus, quia mutuus amor suspectos reddit. Attamen admittuntur parentes, si de affinitate, filiatione, aetate quaeratur, et generatim in causis matrimonialibus liberorum, cap. 22 hoc tit., illi enim haec melius norunt, et eorum maxime interest, ne consanguinei conjuncti cum ignominia separantur, cap. 5 eod. 2. Consanguinei vel affines pro consanguineis et affinibus in linea recta universim, in obliqua vero ad tertium usque gradum saltem

§ CCXVIII. DE PROBATIONE PER TESTES. 481

in criminalibus, itemque familiares et domestici, « quia propinquitatis vel familiaritatis ac dominationis affectio veritatem impedire solet, » quam rationem affert can. 12 caus. 3 quaest. 5.

Contra certas personas testimonium dicere prohibentur: 1. Parentes contra liberos, et liberi adversus parentes, ne pietas contaminetur. 2. Conjugi adversus conjugem, ne concordia conjugalis perturbetur. 3. Amici et inimici adversus amicos et inimicos, cap. 9 de Accusat., in quibus tamen amicitiae et inimicitiae gradus et personarum qualitas spectandi sunt. 4. Advocati et Procuratores adversus clientes in causis in quibus operam et patrocinium suum exhibuerunt. 5. Judei et pagani adversus Christianos, et laici adversus Clericos in causis criminalibus, vel quod plerumque solent laici esse Clericis infesti, vel maxime ob reverentiam quae Clericis debetur. Laici tamen adversus Clericos idonei testes sunt in delictis haeresis, laesae majestatis, simoniae, aliisve scandalosis et notoriis, et ubi adversus Clericum alias testis praeterquam laicus haberi nequeat. Demum pro certis causis testes esse prohibentur: 1. Minores in causis criminalibus, tanquam arduis et momentosis, nisi vigesimum aetatis annum expleverint, et alii testes deficiant, vel de criminibus exceptis quaeratur. 2. Clerici in causa sanguinis. 3. Mulieres in causis criminalibus, quia varium et mutabile semper foemina, ut Virgilius inquit. 4. Denique nemo est testis idoneus in causa propria, vel in iis causis unde sperat emolumendum.

Post testium personas ipsorum quoque dicta seu attestaciones ad trutinam revocandae sunt: non enim sufficit idoneum testem esse, nisi etiam apposite apteque testetur. Igitur ad fidem in judiciis faciendam postulatur: 1. Ut testimonium dicitur voce, et non scripto; Judex enim certior de re efficitur magis per verba, quam per litteras, et praesertim in criminalibus ex vultu, gestu, titubatione facile dignoscitur, an testis ex animi sententia loquatur. 2. Sit conforme articulo; nam